



SIGLO XII.

AÑO 1152.

*Privilegio del Emperador Don Alfonso VII
confirmando al Concejo de Madrid en la pro-
piedad y posesion de los montes y sierras
que hay entre esta Villa y la ciudad de
Segovia desde el Puerto del Berrueco
hasta el de Lozoya.*

ALFA OMEGA.

IN nomine Domini amen. Plerumque sentimus oblivionis incomoda dum rerum gestarum memoriam per scripture seriem negligimus alligare. Ea propter Ego Adefonsus, Hispanie Imperator, una cum filiis meis Sancio et Fernando, vobis concilio de Maydrit et omnibus posteris vestris quicumque in Maidrit habitaverint, facio cartam donationis de montibus et serris

qui sunt inter Maidrit villam vestram et Segobiam, quod sint vestri et de termino vestro ab hac die usque in perpetuum: hos montes et serras vobis dono ad pascua pecoribus vestris, et ad ligna edificiis et necessariis vestris: et concedo quod possideatis dictos montes jure hereditario et habeatis plenam potestatem vetandi et defendendi eos ab omnibus aliis conciliis qui contra voluntatem vestram, sive ad ligna sive ad pascua voluerint in eis sibi dominium vindicare. Dono autem vobis nominatos montes et serras, nominatim et singullatim a Portu del Berroco, qui dividit terminum Abule et Segobie, usque ad Portum de Lozoya cum omnibus intermediis montibus, et serris et vallibus: ita quod sicut aqua descendit et decurrit versus villam vestram a summitate ipsorum montium, eos usque ad Maidrit ab hac die usque in perpetuum vivere et quiete possideatis: et hoc facio vobis pro bono et fidelissimo servitio quod michi fecistis in partibus sarracenorum et facitis; et quia maiorem fidelitatem inveni in vobis cum servitium vestrum volui: et maxime quia dicti montes vestri fuerunt, et magis ad vos pertinent quam ad aliquos vicinorum conciliorum. Si vero aliquis homo hoc meum factum rumpere tentaverit, sit maledictus et excommunicatus et pectet regie parti mille moravetinos; et dampnum quod vobis intulerit restituat duplicatum. Facta carta Toleti die kalendarum maii Era millesima centesima nonagesima: Imperante ipso Imperatore in Toletto et Legione in Gallecia et Castella in Najara et Saragotia in Baentia et Almaria.—Comes Barchinonie et Sancius Rex Navarre cum ceteris, vassalli Imperatoris.—Ego Adefonsus Imperator Hispanie hanc car-

tam quam fieri iussi propria manu mea roboro atque confirmo.—Signum † Imperatoris.—Rex Sancius, filius Imperatoris confirmat.—Rex Fernandus, filius Imperatoris, confirmat.—Comes Pontius, Mayordomus Imperatoris, confirmat.—Ermenegandus, Comes Urgelli, confirmat.—Villemus Raimundus, confirmat.—Nunius Petriz, Alferiz Imperatoris, confirmat.—R., Toletanus Archiepiscopus et Hispanie primas, confirmat.—Johannes Segoviensis episcopus, confirmat.—Johannes Oxomensis episcopus, confirmat.—Comes Almanrricus, tenens Baentia, confirmat.—Comes Rudericus Petriz, confirmat.—Johannes Fernandiz, Canonicus Ecclesie Beati Jacobi et Notarius Imperatoris; scripsit.

